

dratum HE, à quadratis FA, IB, æqualiter distare. Quod omnino falsum est, ex tua constructione: Quippe qui Latus EK, medium proportionale constitueris inter latera AL, BM. Hinc enim sequitur, latus AL, maiori excessu superare Latus EK, quàm Latus BM, à Latere EK, superatur, vt in 4. proprietate trium proportionalitatum in definitionibus lib. 5. Eucl. diximus, perspicuumque est in tribus hisce numeris continue proportionalibus 18. 12. 8. vbi excessus maiorum numerorum est 6. & minorum 4. Verum vt aliquid tandem aliquando discere incipias, caput erroris tui detegam. Illud est, quòd putaueris, diametrum CD, transire per E, intersectionem Laterum EK, EO, quod verum non est, nisi quando tria Latera AL, EK, BM, sunt Arithmeticè proportionalia: quod est contra tuam constructionem. Quando igitur Latus EK, est medio loco proportionale inter Latera AL, BM, impossibile est, diametrum CD, transire per angulum E, sed necessariò infra, hoc est, Latus illud medium proportionale secabit diametrum BA, supra diametrum CD. Paralogizas ergo.

SCALIGER in propos. 1.

*CIRCA datam rectam terminatam, volutam luxatam describere: id est Helicam Archimedis.*

*CIRCA rectam datam terminatam BD, bifariam diuisam in E, descriptus esto circulus ABCD, cuius quadrantibus peripheria diuisis quadrifariam, erit to-*

ta pe-